

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Studium ac cum fonte primo

Apes debemus imitari
que ut uagantur et flores ad mel
faciendum idoneos carpunt; deinde
quicquid attulere disponunt ac per fauos
digerunt.

Ita debemus
quecumque ex diuersa lectione
congressimus separare; melius enim
distincta seruantur; deinde ad debitam
facultatem ingenii in unum
saporem uaria illa libamenta confundere
ut etiam si apparuerit unde
sumptum est, aliud tamen esse quam
unde sumptum est appareat.

Seneca ibidem (LXXXVII. epistola).

Apes, ut aiunt, debemus imitari,
quae uagantur et flores ad mel
faciendum idoneos carpunt, deinde
quicquid attulere disponunt ac per fauos
digerunt et, ut Vergilius noster ait,
'liquentia mella / stipant et dulci
distendunt nectare cellas'. De illis non
satis constat, utrum sucum ex floribus
ducant qui protinus mel sit, an quae
collegerunt in hunc saporem mixtura
quadam et proprietate spiritus sui
mutent. Quibusdam enim placet non
faciendi mellis scientiam esse illis sed
colligendi. Aiunt inueniri apud Indos
mel in arundinum foliis, quod aut ros
illius caeli aut ipsius arundinis umor
dulcis et pinguior gignat; in nostris
quoque herbis vim eandem sed minus
manifestam et notabilem poni, quam
persequatur et contrahat animal huic rei
genitum. Quidam existimant conditura et
dispositione in hanc qualitatem uerti
quae ex tenerrimis uirentium
florentiumque decerpserint, non sine
quodam, ut ita dicam, fermento, quo in
unum diuersa coalescunt. Sed ne ad
aliud quam de quo agitur abducatur, nos
quoque has apes debemus imitari et
quaecumque ex diuersa lectione
congressimus separare (melius enim
distincta seruantur), deinde adhibita
ingenii nostri cura et facultate in unum
saporem uaria illa libamenta confundere,
ut etiam si apparuerit unde
sumptum sit, aliud tamen esse quam
unde sumptum est appareat.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 84, 3-5 (L. Reynolds
ed., vol.1, pp.285-6, ll.15-24, 1-15).